

dicularem tantum , qui propiùs reliquis me hac quidem vice tangit, intuebimur, hoc nominis adeptum à pendendo, quod, quæ liberè pendent, eundem tenere videamus. Considerari autem potest vel abstractè, seu purè, sine respectu ad materiam hanc vel illam, quemadmodum in Geometria; vel concretè seu mixtè, cum respectu ad materiam hanc vel illam. Imprimis verò ad mundi basin; hoc est, ad Horizontem, vel ad centrum terræ, per quod Horizon transit. Atque hujus intuitu

Situs perpendicularis est extēisionis ad centrum Terræ directæ vergentia, quæ simul ad Horizontem ita se habet, ut non magis in unam quàm in alteram ejus partem propendeat, hoc est, ut angulos utrinque rectos faciat.

Est enim Horizon circulus Mundi major, cujus poli sunt in Zenith & Nadir uniuscujusque habitantis, dividitque sphaeram in hemisphaerium superius & inferius. Nec obstat, quod nos sensibili solùm gaudeamus Horizonte, terræ centrum minimè transeunte, quique ob id sphaeram universi etiam æqualiter non dividit: sufficit enim, quod mundi segmentum ab hoc ipso rescissum hemisphaerio saltem ad sensum coincidat, ipseque rationali exactè parallelus pari ratione situm perpendicularem excipiat.

DEFINIT. II.

*Pendulum est grave corpus è certo puncto liberè dependens & circa illud reciproco motu mobile*

*Scholion.*

Grave dicitur corpus, quod nisi perpetuo deorsum, hoc est, ad centrum terræ tendit, & si sibi relinquatur, còruit.

Non